



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

65. Parmenas dispensatus in carne tempore quadragesimæ bis eas comedere in die potest.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

*se vsque ad vomitum, & hunc ideo subinde procurat, vt iteratò comedere & bibere possit. Queritur. Vtrum peccet mortaliter?*

Videtur ita peccare Angelo, Sa, Escobar Tr. 2. Ex 2. num. 23 & alijs, quia contra naturam magna in eo deformitas apparet.

Respond. Non peccare Pamphilum mortaliter, secluso scandalo & alijs. Ita Navarr, Tolet. Henriq. in compend. Casuum moral. c. 19. n. 9. Dian. P. 5. Tr. 13. Res. 4. & alij. Ratio est, quia non est tanta inordinatio contra naturam, vt sibi imaginantur adversarij: nec per se inde graue corpori incommodum infertur, vnde etiam Layman L. 3. §. 4. n. 2. non audet hoc peccati mortalis damnare. Atque ex his patet ad rationem in contrarium.

LXV. *Parmenas ex legitimâ causâ petit & impetrat dispensationem comedendi carnes diebus ieiunij, quâ ille facultate ita vtitur, vt bis per diem yldem carnibus vescatur. Queritur. An licitè?*

Videtur non licitè id facere. Ita Ioan. Medina Cod. 4. de ieiun. q. 5. & 9. & alij. Tum quia præceptum continet plures partes, ergo deobligatus ab vnâ, non censetur ab alijs liber. Confirm. Solutus à lege binam refectio- nem die ieiunij prohibente, non eo ipso liber est à lege abstinendi à carnibus. Ergo nec solutus à lege carniū vsum prohibente hoc ipso

ipso liber est à lege abstinendi ab altera comestione per vnum diem.

Resp. Parmenam dispensatum in esu carniū licitè hāc vesci bis vno die, Ita Caiet. 22. Q. 147. art. 8. Nauarr. Tolet. Azor. Filliuc. Suar. Tom. 3. in 3. part. D. 70. § 2. & alij. Ratio est, quia essentia ieiunij consistit maxime in abstinentia à carnibus: Hāc ergo demptā, sicuti nō manet essentia ieiunij, sic neque obligatio ad ieiunandum, & seruandum alia requisita.

Ad primum in contrarium negamus consequentiā, quia vna pars præcipitur dependenter ab alia. Ad secundum negamus itidem consequ. ob disparitatem inter binam comestionem, & esum carniū, quod iste plus requiritur; illa verò minùs, & accessorium quid sit ieiunio; iuxta regulam autem Iuris in 6. Cui licet, quod est plus, licebit, quod est minus: at non, cui licet, quod est minus, bina scilicet comestio, licitum esse debet, quod est plus, scilicet comestio carniū.

LXVI. Parthenius Adolescens vehementer libidinosis vexatur tentationibus, & frequenter ijs succumbit; & quamvis inde advertat, statum conjugalem multò vtiliorem sibi futurum, quam cœlibem, facit tamen votum Castitatis, idque grauius violat, vt illud iam vellet, non esse factum. Queritur. Vtrum hoc votum reuera sit validum?

Videtur votum istud validum esse, cum  
omni-